

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod sicut per martyrium, & virginitatem aliquis perfectissimam victoriam obtinet de carne, & mundo; ita & perfectissima victoria contra diabolum obtinetur, quando aliquis non solum diabolo impugnant non cedit, sed etiam eum expellit, & non solum a se, sed etiam ab aliis. Hoc autem fit per praedicationem, & doctrinam: & ideo praedicationi, & doctrinae aureola debetur, sicut & virginitati, & martyrio. Nec est dicendum, ut quidam dicunt, quod tantum debeat praelatis quibus competit ex officio praedicare, & docere; sed quibuscumque qui licite hunc actum exercent. Praelatis autem non debetur, quamvis habeant officium praedicandi, nisi actu praedicent: quia corona non debetur habitui, sed actuali pugnae; secundum illud II. Timoth. 1. 5. Non coronabitur nisi qui legitime certaverit.

Ad primum ergo dicendum, quod praedicare, & docere sunt actus alicujus virtutis, scilicet misericordiae; unde & inter spirituales eleemosynas computantur, ut patet supra distinct. xxv. quae. 1. art. 3.

Ad secundum dicendum, quod quamvis facultas praedicandi, & docendi quandoque ex studio proveniat, tamen usus doctrinae ex voluntate procedit, quae per charitatem informatur a Deo infusam, & sic actus ejus meritorius esse potest.

Ad tertium dicendum, quod exaltatio in hac vita non dimittit alterius vitae praemium, nisi ei qui in tali exaltatione propriam gloriam quaerit; qui autem talem exaltationem in utilitatem aliorum convertit, ex ea sibi mercedem acquirit. Cum enim dicitur, quod doctrinae debetur aureola; intelligendum est doctrinae quae est de pertinentibus ad salutem, per quam diabolus a cordibus hominum expugnatur, sicut quibusdam spiritualibus armis, de quibus dicitur II. Corinth. xi. 4. Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed (2) spiritualia.

ARTICULUS IV.

Utrum Christo aureola debeat.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christo aureola debeat. Debetur enim aureola virginitati, & martyrio, & doctrinae. Sed in Christo haec tria praecipue fuerunt. Ergo Christo praecipue aureola competit.

Præterea, Omne quod est perfectissimum in rebus humanis, praecipue Christo est attribuendum. Sed praemium aureolae debetur excellentissimis meritis. Ergo Christo debetur.

Præterea, Cyprianus dicit tract. de habitu virginum circa princ. quod imaginem Dei virginitas portat. Virginitatis ergo exemplar in Deo est; & sic videtur quod Christo etiam, in quantum est Deus, aureola competit.

Sed contra. Aureola est gaudium de conformitate ad Christum, ut dicitur. Sed nullus conformatur, vel similatur sibi ipsi, ut patet per Philosophum I. Topicorum cap. xiv. Ergo Christo non debetur aureola.

Præterea, Christi praemium nunquam est augmentatum. Sed Christus ab instanti conceptionis suae non habuit aureolam, quia tunc nunquam pugnaverat.

(1) Vulgata, potentia Deo etc. (2) Al. cum in pugna

Ergo nunquam postea aureolam habuit.

QUESTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod Angelis aureola debeat. Quia ut dicit Hieronymus, Sophronius serm. 1. de assumpt. B. Virginis inter opera Hieroni. de virginitate loquens: In carne praeter carnem vivere potius est vita angelica quam humana: & I. Corinth. vii. dicit Glossa, quod virginitas est portio angelica. Cum igitur virginitati respondeat aureola, videtur quod Angelis debeat.

Præterea, Nobilior est incorruptio spiritus quam incorruptio carnis. Sed in Angelis invenitur incorruptio spiritus, quia nunquam peccaverunt. Ergo eis magis debetur aureola quam hominibus incorruptis carne, qui alias aliquando peccaverunt.

Præterea, Doctrinae debetur aureola. Sed Angeli nos docent purgando, illuminando, & perficiendo, ut Dionysius dicit in Lib. celestis Hierarch. cap. xiiii. Ergo eis debetur aureola saltem doctorum.

Sed contra. II. Timoth. 1. 5. Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Sed Angelis non est pugna. Ergo nec eis aureola debetur.

Præterea, Aureola non debetur actui qui per corpus non exercetur: unde amantibus virginitatem, & martyrium, & doctrinam, si exterius haec eis non insunt, aureola non debetur. Sed Angeli sunt incorporei. Ergo aureolam non habent.

QUESTIUNCULA III.

Uterius. Videtur quod aureola etiam corpori debeat. Praemium enim essentiale est potius quam accidentale. Sed dos, quae ad praemium essentiale pertinet, non solum est in anima, sed etiam in corpore. Ergo & aureola quae pertinet ad praemium accidentale, in corpore debet.

Præterea, Peccato quod per corpus exercetur, respondet poena in anima, & corpore. Ergo & merito quod exercetur per corpus, debetur praemium & in anima, & in corpore. Sed meritum aureolae per corpus exercetur. Ergo aureola etiam debetur corpori.

Præterea, In corporibus Martyrum apparbit quaedam virtutis pulchritudo in ipsis cicatricibus corporis: unde dicit Augustinus XXII. de Civ. Dei, cap. xxi. in princ. Nescio quomodo sic afficiuntur amore Martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quas pro Christi nomine pertulerunt: & fortasse videbimus: non enim erit in eis deformitas, sed dignitas: & quaedam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Ergo videtur quod aureola Martyrum sit in corpore; & eadem ratione de aliis.

Sed contra. Anima quae modo sunt in paradiso, habent aureolas, nec tamen habent corpora. Ergo proprium subjectum aureolae non est corpus, sed anima.

Præterea, Omne meritum est ab anima. Ergo praemium totum in anima esse debet.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod circa hoc duplex est opinio. Quidam enim dicunt, quod in Christo est aureola secundum propriam aureolae rationem, cum (2) in eo pugna invenitur, & victoria, & per consequens corona secundum propriam

(1) Vulgata: dabo ei sedere mecum in throno etc. (2) Al. ratione eorum quae hominibus &c.

pram rationem. Sed diligenter considerando, quamvis Christo competat ratio aureae, vel coronae, non tamen ei competit ratio aureolae; aureola enim ex hoc ipso quod diminutive dicitur, importat aliquid quod participative, & non secundum sui plenitudinem possidetur: unde illis competit aureolam habere in quibus est aliqua perfectioris victoriae participatio secundum imitationem ejus in quo perfecta victoriae plena ratio consistit: & ideo cum in Christo inveniat huiusmodi principalis, & plena victoriae ratio, per cuius victoriam omnes alii victores constituuntur, ut patet Joan. xvi. 33. Confidite: ego vici mundum: & Apoc. v. 5. Ecce vici Leo de tribu Juda: Christo non competit aureolam habere, sed aliquid unde omnes aureolae originantur: unde Apoc. 1. 21. Qui vicerit, & (1) faciam eum sedere in throno meo, sicut ego vici, & sedeo in throno Patris mei. Unde secundum alios dicendum est, quod quamvis id quod est in Christo non habeat rationem aureolae; tamen est excellentius omni aureola.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus fuit verissime virgo, Martyr, & Doctor; sed tamen praemium accidentale his respondens in Christo non habet aliquam notabilem quantitatem in comparatione ad magnitudinem essentialis praemii: unde non habet aureolam sub ratione aureolae.

Ad secundum dicendum, quod aureola, quamvis debeat operi perfectissimo quoad nos, tamen aureola in quantum diminutive dicitur, significat quamdam participationem perfectionis ab aliquo in quo plenarie invenitur; & secundum hoc ad quamdam minorationem pertinet: & sic in Christo non invenitur; in quo omnis perfectio plenissime invenitur.

Ad tertium dicendum, quod quamvis virginitas habeat aliquo modo exemplar in Deo, non tamen habet exemplar unius rationis; incorruptio enim Dei, quam virginitas imitatur, non eadem ratione est in Deo, & in aliquo virgine.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod Angelis aureola non debetur: cuius ratio est quia aureola proprie respondet cuidam perfectioni in excellenti merito. Ea vero quae in hominibus ad perfectionem meriti pertinent, Angelis sunt connaturalia, vel etiam spectant ad communem eorum statum, aut etiam ad ipsum praemium: & ideo (2) propter quae hominibus debetur aureola, Angeli non habent aureolas.

Ad primum ergo dicendum, quod virginitas dicitur esse vita angelica, in quantum per gratiam virgines imitantur id quod Angeli habent per naturam: non enim virtutis est in Angelis quod omnino a delectationibus carnis absterneant, cum huiusmodi delectationes in eis esse non possint.

Ad secundum dicendum, quod perpetua incorruptio spiritus in Angelis praemium essentiale meretur: est enim de necessitate salutis, cum in eis non possit subsequi reparatio post ruinam.

Ad tertium dicendum, quod illi actus secundum quos Angeli nos docent, pertinent ad gloriam eorum, & ad communem ipsorum statum: unde per huiusmodi actus aureolam non merentur.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod aureola IV. Sent. Tom. V.

(1) Vulgata: dabo ei sedere mecum in throno etc. (2) Al. ratione eorum quae hominibus &c.

la proprie est in mente; est enim gaudium de operibus illis quibus aureola debetur. Sed sicut ex gaudio essentialis praemii, quod est aurea, redundat quidam decor in corpore, qui est gloria corporis; ita ex gaudio aureolae resultat aliquis decor in corpore; ut sic aureola principaliter sit in mente, sed per quamdam redundantiam fulgeat etiam in carne.

Et per hoc patet responsio ad objecta.

Tamen sciendum est, quod decor cicatricum quae in corporibus martyrum apparebunt, non potest dici aureola: quia aliqui martyres aureolam habebunt in quibus huiusmodi cicatrices non erunt, ut pote illi qui sunt submersi, aut famis inedia, vel squalore carceris interempti.

ARTICULUS V.

Utrum convenienter designentur tres aureolae.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter designentur tres aureolae, virginum, martyrum, & praedicatorum. Aureola enim martyrum respondet virtuti fortitudinis, aureola virginum virtuti temperantiae, aureola vero doctorum virtuti prudentiae. Ergo videtur quod debeat esse quarta aureola, quae debeatur iustitiae.

Præterea, Exod. xxv. dicit Glossa (ex Beda Lib. I. de tabern. cap. vi.) quod corona aurea additur, cum per Evangelium his qui mandata custodiunt, vita aeterna promittitur. Matth. xix. 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Huic aureola superponitur cum dicitur: ibid. 22. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quae habes, & da pauperibus. Ergo paupertati debetur aureola.

Præterea, Per votum obedientiae aliquis se Deo subicit totaliter. Ergo in voto obedientiae maxima perfectio consistit; & ita videtur quod ei aureola debeat.

Præterea, Multa sunt etiam alia supererogationis opera, de quibus homo in futuro speciale gaudium habebit. Ergo multae sunt aliae aureolae praeter istas tres.

Præterea, Sicut aliquis divulgat fidem praedicando, & docendo, ita scripta compilando. Ergo & talibus quarta aureola debetur.

QUESTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod aureola virginum sit inter alias potissima. Quia Apoc. xiv. dicitur de virginibus quod sequuntur agnum quocumque ierit; & quod nemo alius poterat dicere canticum quod virgines cantabant. Ergo virgines habent excellentiorem aureolam.

Præterea, Cyprianus dicit de virginibus, sive tract. seu lib. de habit. virg. circ. princ. quod sunt illustrior portio gregis Christi. Ergo eis magis aureola debetur.

Præterea, Videtur quod potissima sit aureola martyrum. Quia dicit Haymo, super Apoc. cap. xiv. quod non omnes virgines conjugatos praecedunt; sed hi specialiter qui in tormento passionis virginitate insuper custodita coequantur martyribus conjugatis. Ergo martyrium dat virginitati praeminentiam super alios status. Ergo martyrio potior aureola debetur.

Bbb 2 Pra-

(1) Vulgata: dabo ei sedere mecum in throno etc. (2) Al. ratione eorum quae hominibus &c.

4. Præterea. Videtur quod potissima debeat doctori. Quia Ecclesia militans exemplata est ab Ecclesia triumphante. Sed in Ecclesia militante maximus honor debetur doctoribus. I. Timoth. v. 17. *Qui bene præsent præbyteri, duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.* Ergo in Ecclesia triumphante ei potior aureola debetur.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod unus aureolam virginitalis, vel martyrii, vel doctoris excellentius alio non habet. Quia ea quæ sunt in termino perfectionis, non intenduntur, & remittuntur. Sed aureola debetur operibus quæ sunt in termino perfectionis. Ergo aureola non intenditur, nec remittitur.

2. Præterea. Virginitas non suspicit magis & minus, cum importet privationem quamdam; & negationes non intenduntur, nec remittuntur. Ergo nec præmium virginitalis, scilicet aureola virginum, intenditur, & remittitur.

Sed contra. Aureola (1) superponitur aureæ. Sed aurea est intensior in uno quam in alio. Ergo & aureola.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod aureola est quoddam privilegiatum præmium, privilegiata victoriæ respondens, ut patet ex dictis; & ideo secundum privilegiatas victorias in tribus pugnis, quæ cuilibet homini imminet, tres aureolæ sumuntur. In pugna enim quæ est contra carnem, ille potissimam victoriam obtinet qui à delectabilibus venereis, quæ sunt præcipua in hoc genere, omnino abstinet; & ideo virginitalis aureola debetur. In pugna vero qua contra mundum pugnatur, illa est præcipua, cum à mundo persecutionem usque ad mortem sustinemus: unde & martyribus, qui in ista pugna victoriam obtinent, secunda aureola debetur. In pugna vero qua contra diabolum pugnatur, illa est præcipua victoria, cum aliquis hostem non solum à se, sed à cordibus aliorum remouet; quod fit per prædicationem, & doctrinam: & ideo doctoribus, & prædicatoribus tertia aureola debetur. Quidam vero distinguunt tres aureolas secundum tres vires animæ, ut dicuntur tres aureolæ respondere potissimis trium virtutum animæ actibus. Potissimus enim actus rationalis est veritatem fidei etiam in aliis diffundere; & huic actui debetur doctorum aureola. Irascibilis vero actus potissimus est etiam mortem propter Christum superare; & huic actui debetur aureola martyrum. Concupiscibilis autem actus potissimus est à delectabilibus maximis penitus abstinere; & huic debetur aureola virginum. Alii vero aureolas tres distinguunt secundum ea quibus Christo nobilissime conformamur. Ipse enim mediator fuit inter mundum & Patrem. Fuit ergo doctor, secundum quod veritatem quam à Patre acceperat, mundo manifestavit; fuit autem martyr, secundum quod à mundo persecutionem sustinuit; fuit vero virgo, inquantum puritatem in se ipso conservavit. Et ideo Doctores, Martyres, Virgines ei perfectissime conformantur: unde talibus debetur aureola.

Ad primum ergo dicendum, quod in actu iustitiæ non attenditur aliqua pugna, sicut in actibus aliarum virtutum: nec tamen hoc verum est, quod docere sit actus prudentiæ; immo potius est actus cha-

(1) In edis suppenitur.

ritatis, vel misericordiæ, secundum quod ex tali habitu inclinamur ad huiusmodi exercitium, vel etiam sapientiæ ut dirigentis. Vel potest dici secundum alios, quod iustitia circūdat omnes virtutes; & ideo ei specialis aureola non debetur. Quomodo autem hoc sit verum, dictum est in Lib. III. dist. xxxi. quæst. III. art. 4.

Ad secundum dicendum, quod paupertas quamvis sit opus perfectionis, non tamen tenet summum locum in aliqua spirituali pugna: quia amor corporaliū minus impugnat quam concupiscentia carnis, vel persecutio inflicta in corpus proprium. Unde paupertatis non debetur aureola, sed debetur ei iudicialis potestas ratione humilitationis, quæ consequitur paupertatem, ut supra dictum est. Glossa autem inducta large accipit aureolam pro quolibet præmio quod redditur merito excellenti.

Et similiter dicendum ad tertium, & quartum.

Ad quintum dicendum, quod etiam scribenibus sacram doctrinam debetur aureola; sed hæc non distinguitur ab aureola doctorum, quia scripta componere quidam modus docendi est.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod præminencia aureolæ ad aureolam potest dupliciter attendi. Primo ex parte pugne, ut dicatur aureola potior quæ fortiori pugna debetur; & per hunc modum aureola martyrum aliis aureolis supereminet quodam modo, & aureola virginum alio modo. Pugna enim martyrii est fortior secundum seipsam, & vehementius affligens: pugna carnis est periculiosior, inquantum est diuturnior, & magis nobis imminet è vicino. Secundo ex parte eorum de quibus est pugna; & sic aureola doctorum inter omnes est potior: quia huiusmodi pugna versatur circa bona intelligibilia, alia vero pugna circa sensibiles passionnes. Sed illa eminentia quæ attenditur ex parte pugne, est aureolæ essentialior: quia aureola secundum propriam rationem respicit victoriam, & pugnam. Difficultas etiam pugne quæ attenditur ex parte ipsius pugne, est potior quam illa quæ attenditur ex parte nostri, inquantum est nobis vicinior. Et ideo simpliciter loquendo, aureola martyrum inter omnes est potior; & ideo dicitur Math. v. in Glossa, Ambrosii, quod in octava beatitudine, quæ ad martyres pertinet, scilicet *Beati qui persecutionem patiuntur &c.* omnes alie perficiuntur. Propter hoc etiam Ecclesia in commemoratione Sanctorum martyres doctoribus, & virginibus præordinat. Sed quantum ad aliquid, nihil prohibet alias aureolas excellentiores esse.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod cum meritum sit quodammodo præmii causa, oportet diversificari præmia, secundum quod merita diversificantur. Aliquid enim intenditur, & remittitur per intensionem, & remissionem suæ causæ. Meritum autem aureolæ potest esse majus, & minus: unde & aureola potest esse major, & minor. Sciendum tamen, quod meritum aureolæ potest intendi dupliciter: uno modo ex parte radicis, alio modo ex parte operis. Coniungit enim esse aliquos duos, quorum unus ex

n.

EXPOSITIO TEXTUS.

SUOS. *finis habebunt duæ civitates.* Hoc ideo dicitur, quia usque ad diem iudicii numerus electorum, & damnatorum augetur; & etiam gloria; & pœna augeri potest saltem quantum ad præmium, & pœnam accidentalem; sed post iudicium ulterius augeri non poterit.

Denarius enim unus. Hoc dicitur propter hoc quod idem est objectum omnium beatorum.

Ille quippe beate vivit qui vivit ut vult, nec male aliquid vult. Hæc sententia Augustini concordat cum sententia Philosophi, II. de Anima text. com. xxxvii. ut per vivere operatio vitæ intelligatur; per hoc autem quod dicitur, *ut vult*, ostenditur operatio non impedita; per hoc autem quod dicitur, *nec aliquid male vult*, ostenditur esse conaturalis, quia mala sunt contra naturam.

Quo retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, donec appetitus ille conquiescat. Ista retardatio intelligitur quantum ad hoc quod anima à corpore separata non habet perfectum esse, & ita nec perfectam operationem, qua possit Deo perfecte conjugi.

DISTINCTIO L.

Si mali in inferno peccabunt.

HIC oritur quæstio, ex præmissis ducens originem. Supra enim Augustinus, in Enchirid. cap. cxl. loquens de malis in inferno damnatis, & de bonis in cœlo glorificatis, dixit, quod nec bonis voluntas, nec malis facultas esse peccandi poterit. Et de bonis quidem constat; sed de malis, à quibus voluntatem malam non remover, queritur, quomodo sit verum eos non posse peccare, immo quomodo verum sit eos non peccare, cum malam habeant voluntatem. Quidam autem illam voluntatem non esse peccatum, sed supplicium tantum. Alii vero peccatum esse fatentur, sed per illud eos non mereri aliquam pœnam, quia non est ibi locus merendi. Illud ergo peccatum dicitur non esse meritum supplicii, sed supplicium mali meriti quod in hac vita præcessit. De hoc autem Augustinus (Fulgentius de Fide ad Petrum cap. lxx.) ita dicit: *Tempus acquirendi vitam æternam in hac tantum vita Deus hominibus dedit, ubi voluit etiam pœnitentiam esse fructuosam.* (1) Ideo hic pœnitentia fructuosa est, quia potest hic homo deposita nequitia bene vivere, & mutata voluntate (2) injusta, merita simul, operaque mutare, & ea gerere quæ Deo placeant: quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Domini non inveniet: quia etsi erit stimulus pœnitentis, tamen nulla erit ibi correctio voluntatis. A talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus ab eis possit vel diligi, vel desiderari iustitia: voluntas enim eorum talis erit, ut habeat semper in se malignitatis suæ supplicium, numquam tamen recipere possit bonitatis affectum. Quia sicut illi qui cum Christo regnabunt, nullas in se malitias voluntatis reliquias habebunt; ita illi qui erunt in supplicio æterni ignis cum diabolo, & Angelis ejus deputati, sicut nullam habebunt ulterius requiem, sic bonam nullatenus poterunt habere voluntatem: & sicut coheredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam; ita consortibus diaboli cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiori lumine veritatis. Ex his apparet reprobos in inferno pœnitentiam sic gesturos, ut per eam pravam voluntatem non deserant; & illa maligna voluntas erit eis ad cumulum pœnæ, per quam tamen non merebuntur, quia nullus meretur nisi in hac vita.

Quare dicuntur tenebræ exteriores.

HIC queri potest, quare illæ tenebræ quibus involventur mali in gehenna, dicuntur tenebræ exteriores. Quia tunc mali penitus extra lucem corporalem, & spirituales, scilicet Domini, erunt. Nunc enim etsi patiantur tenebras in cæcitate mentis non tamen penitus extra lucem Dei sunt, nec corporali luce privantur. De hoc Augustinus sic ait (in Psalm. vi. vers. 6. aliis verbis), *Ira Dei & in iudicio erit, & hic est in cæcitate mentis, cum dantur mali in reprobis sensum.* Ibi exteriores tenebræ erunt, quia tunc peccatores penitus erunt extra Deum. Quid est enim penitus esse extra Deum, nisi in summa cæcitate? Si quidem habitat Deus lucem inaccessibilem. Hæc autem tenebræ hic jam incipiunt in peccante, cum ab interiori Dei luce secluditur, sed non penitus dum in hac vita est. Ecce quare ibi peccator dicitur pati exteriores tenebras, & non hic: quia ibi secludetur penitus à luce Dei; quod non hic. Sed quomodo intelligenda est illa seclusio? An quia non videbunt Deum per speciem? Sed nec aliquis vi-

(1) Al. ideo hæc. (2) Al. deest injusta.